

TABULA XI. DE FINE.

In doctrinâ de Fine attendenda sunt

- 1. *Homonymia*: sumitur enim nomen Finis (α.)
 - 1. *Pro extremô s. ultimô alicujus rei*, vocaturque finis *terminationis*, quâ ratione ultimum punctum in lineâ vocatur ejus finis.
 - 2. *Pro causâ finali*, quæ aliquam causalitatem circâ rem exercet, diciturque *finis motionis*. Sic ultimum punctum non est finis lineæ, quia linea tota non est propter illud punctum; contra, divitiæ sunt finis mercatoris, quia propter illas iter instituit, illæque ipsum ad iter movent.
- 2. *Definitio*: *Finis est, cujus gratiâ aliquid est vel fit*. Ubi (τὸ cujus gratiâ) latè sumitur, ut æquipolleat partiticolæ propter.
- 3. *Ratio causandi*: est *bonitas*, (β) sive vera, sive apparens, sive *per se* talis, sive *per accidens*. Ratio causandi enim est fons causalitatis, & id, per quod causa causat. Finis ergò movet voluntatem per bonitatem, quia ideò fertur voluntas in rei amorem, quòd eam videt bonam. Notanter autem dicitur, sive *vera*, sive *apparens*: voluntas enim nihil appetit, nisi cognitum ab intellectu: sicut verò intellectus noster in cognitione cæterarum rerum sæpiùs errat, ita etiam in cognitione boni. Ex quò fit, ut voluntati sæpiùs dicat, bonum esse illud, quod per errorem bonum judicat. Sic v. gr. cum cibum, sumit boni saporis, in quò tamen latet venenum, bonitas est tantùm apparens. Porro dicitur, sive *per se*, sive *per accidens*; nam sæpè etiam ea appetuntur, quæ & quatenus aliquid bonum conjunctum habent, sic multi mortem appetierant, ut vitarent crudelitatem hostium.
- 4. *Causalitas*: (γ) Quæ generali locutione potest dici; *alicujus gratiâ aliquid esse*, & in specie in rebus cognoscendi vi præditis, est *actus appetitus agentis, sive causa efficiens, quatenus importat dependentiam à bonò, tanquam objectò ejus, ut bonum esse cognoscitur*. Dicitur *motio metaphorica*, propterea, quod finis movet appetitum, sed quia non movet per vim activam vel agendo, sed per bonitatem cognitam, & voluntati exhibitam, ideò non movet propriè; sic divitiæ movent non seipsas ad suam acquisitionem, sed animum mercatoris, ut eas intendat. Hinc finis etiam dicitur *intentionaliter* movere, non *realiter*. Et ex hoc consequitur, quòd, cum efficiens ad realem influxum existentiâ opus habeat, finis *non existens* movere possit. Sicut enim quis per literas alteri potest voluntatem sistere, ubi etiam nõ est; ita etiam finis suam bonitatem per species intentionales. Dicitur etiam aliàs hæc motio *objectiva*, ad differentiam *effectiva*, ratio est, quia quod *metaphoricè* movet, movere dicitur, quatenus objectum fit causæ efficiens, suamque bonitatem ei exhibet.
- 5. *Causata*: *Sunt media, eaque omnia, quæ sunt propter finem*. Propter finem esse dicitur, quod ad acquirendum eum ordinatum est; suntque alia externa, ut medicamenta, alia interna, ut deliberatio, consultatio &c. Primarium causatum est ipse effectus s. finis, qui *intentionaliter* agendo causat seipsum *secundum esse reale*, s. ut realiter existat. Facit enim ut ab agente producat. Quâ ratione etiam causantur media, dum à fine amabilitatem accipiunt, ut appetantur. Æger enim non adhiberet nec appeteret medicamenta sæpè satis ingrata, nisi propter sanitatem.

{ FINIS CUIUS, qui est bonum, cujus efficiendi, acquirendi aut conservandi gratiâ aliquid fit.

{ est vel 1. FINIS CUI verò est, cui bonum illud efficiendum aut acquirendum aut conservandum est. Ita Medicinæ finis CUIUS est sanitas; sed homo est finis CUI, i.e. cui facultas reddenda aut conservanda est.

6. Divisiones: Nam alius finis (δ)

2. Alius finis est vel 1. *Et b. c. i.* { OPERATIO, per quam vel { Fit aliquod opus, qualis est actus ædificandi, per quam domus extruitur respectu artis οἰκοδομητικῆς. Et ita operatio est quidem finis, sed opus magis est finis. 9. Met. t. 16. Est igitur nunquam finis ultimus. Non fit ulterius aliquod opus, ut visio respectu oculi vel visus: operatio secundum virtutem.

RES FACTA, ut domus respectu οἰκοδομητικῆς, & sanitas respectu artis medicæ.

3. Alius est vel { OPERATIONIS, & non tantùm est res facta, sicut finis ædificationis est domus, sed & alia operatio, sicut operationis habitum antecedentis finis est operatio eum consequens.

REI FACTÆ, & non tantùm est operatio, sicut ferræ finis est sectio, oculi visio, auris auditio; sed potest & alia res facta esse. Siquidem v. gr. Medicinæ finis est sanitas, quæ non minùs est res facta, atque medicina. Et finis calami est figura, quæ rursus æquè cum calamo res facta est.

4. Alius est vel { EFFICIENDUS, qui, cum actu non existat, agenti est propositus, ut fiat vel producat. Nec modò res vel opus est, quod per agentis operationem efficitur, sicut per actum medendi sanitas, per actum ædificandi domus: Sed & ipsa huc pertinet operatio. Ita homini ad virtutem adspiranti finis est propositus, ut vitam secundum virtutem instituat; & hic est finis efficiendus, licet in verâ operatione consistat.

A B OBTI.